

1439 multa utrinque cæde sæpius est pugnatum . Demum ea fuit civium fides , is vigor & industria tum Barbari tum aliorum magistratuum , ut urbe strenue defensa , Picininus fremens gemenſque media bruma inde copias abduxerit , duobus millibus hominum & amplius ea oppugnatione amiſſis , in quibus plerique viri illuſtres periire , quum ex oppidanis & mercenariis militibus , qui in urbe erant , dimidio minus occubuiffent . Soluta obſidione , in hyberna miles eſt dimiſſus .

*Obſidio ſol-
vitur.*

Sed dum Brixia oppugnabatur , interim Mellita ratus quod erat , pro amiſſis habenda eſſe quæcunque a tergo reliquiſſet , niſi via aliqua aperiretur , qua obſeſſis commeatus & auxilia ſubvehi poſſent : cum iis copiis , quas habebat , proſectus , in Lagarina valle , ut Ariminenſis Paſius ſcribit , Burgum & Corvariam vi cepit . Penetram deinde adortus , eam ex Francisco Vinciguerræ filio recepit . Ferunt ea expeditione Pilolum (cujus virtute illis iſſis locis Venetæ copię fuerant non multo ante ſervatæ) grave vulnus accepiſſe , ac poſtridie , quam ictus fuerat , vita deceſſiſſe . Audito ejus caſu , continuo juffu Patrum præſtantiffimi ex urbe medici Veronam ad eum curandum miſſi : qui , nunciata ejus morte , ex itinere domum abiire . Occupavit Venetus dux Turbulas quoque , vicum Penetræ ſubjectum : quibus locis hybernorum reliquum bona pars militum egit . Patres ob hæc & alia præclara Mellitæ geſta abſenti illi copiarum omnium imperium decernunt , quotidieque nova mittunt ſupplementa , pecunias , commeatum ; hortanturque per literas , ſi fieri poſſit , det operam , ut Brixienſes commeatu juventur . Vehementer enim ejus urbis periculum , quam Barbari literis atrociter ab hoſte oppugnari cognoverant , angebat eorum animos . Aderat Petrus Advocarus , qui Venetas cohortes ſecutus , Veronam venerat , atque inde Venetias proſectus , quum in curiam fuiſſet introductus , fideliffimæ urbis fortunam oculis Patrum ſubjecit : *Orare eos , ne tam*
fide